

nasque sententias ex Davidis Psalmis excerptas elegiaco carmine conscripsit. Infuper vitam Sanctissimi Patris nostri Benedicti, carmine heroico conscripsit. Elegias duodecim de Passione Domini: Paraphrasim vario metri genere excutam in Psalterium Davidis Regis. De martyrio Monachi: Vitam B. Guillelmi Anachoretæ carmine sapphico: Vitam S. Patris Benedicti, Sanctorum Mauri, Placidi, & Joannis Baptistæ carmine heroico. Vitam aliam S. Benedicti carmine sapphico, & soluta oratione moralem expositionem continentem. Tractatum orationis quadraginta horarum: & Psalterium glorioæ Virginis Mariæ carmine sapphico: Scriptit etiam quamplura alia poëtica, quæ longum esset singula enarrare. Edidit etiam dialogos, homilias, & sermones multos soluta oratione. Vivit usque hodie & septuagesimum octavum excessit annum.

## A N N O T A T I O .

**A**B oppido Sangri, familia de Faggis ortus est Angelus, qui, (si Platonis illud verum est, nomina rebus plerunque convenire) Angeli instar fuit, præfca quidem virtutis, ac sanctitatis exemplar, temporis avarissimus, & diligens, horarumque pervigil distributor, poëtica facultate usque adeò pollebat, ut quidquid libuisset, facile atque ubertim penè extempore carmine enunciaret. Opuscula quæ edidit, teruntur passim eruditorum manibus, impressa Colonia Agrippinæ. Psalmos David mira Paraphrasis arte colligavit imitatione Hebræorum, quos numeris decurrere auctor est Hieronymus, ut & Jobi pleraque, & Hieremiac Threnos: extat impresa paraphrasis ita Venetiis 1540. & Bafleæ 1551. Romæ vero 1587. in 4. excusa est vita Sancti Benedicti carmine heroico. Tractatus quadraginta horarum habetur impressus Florentiæ 1587. in 12. & Tridenti in 16. Obiit Casini ann. 1593. ætatis suæ 93. cuius corpus anno octavo post quam terra mandatum fuerat, integrum illæsumque se vidisse in sepulchro testati sunt nonnulli.

## C A P U T . I X .

## D E H O N O R A T O .

**H**onoratus Hiserniensis, ex familia Fascatella, in Casino Monachus suscepitus est sub Vincentio Neapolitano Postea vero creatus est Episcopus de Insula in Calabria, Vir in Græcis, humanis, & divinis literis versatissimus. Poëta insignis. Scriptit quamplurima opera, quæ temporum calamitate ad manus nostras non devenerunt. Floruit temporibus Caroli V. & Maximiliani Imperatorum.

(\*) Ranutius Gerus, hoc est Janus Gruterus, qui

A

## A N N O T A T I O .

**M**Arci filius natus Anno MDII. laudatus à Bembo, Joanne Casa, Flaminio, aliisque doctissimis viris; cuius etiam poëmata lepiissima leguntur apud Jovium in elog. Suntque impresa quoque in delitiis Poëtarum Italicorum. Insigne edidit opus de factis Alphonsi Avoli Marchionis Vasti. Anno Domini 1551. die 30. Januar. a Julio Papa III. ornatus Insula Episcopali; præceptor datus Innocentio Montio Cardinali ejusdem Pontificis Nepoti adoptivo. Meminere Ranutius Gerus (\*) lib. I. Poëtarum Illustr. Italæ, & Caramella in suo Musæo Illustriorum Poëtarum hoc disticho:

*Laetus est vates. Cur laetus? undeque latet  
Nomen habet? versu est candidus atque tener.*

Interfuit Concilio Tridentino. Romæ obiit mense Martii 1564. ibidemque sepultus postquam Episcopatum resignaverat anno 1562.

## C A P U T . X .

## D E G R E G O R I O .

**G**regorius de Viterbio, Monachus Casinensis, utriusque Juris doctifimus. Floruit temporibus dictorum Imperatorum, & sepultus est in Casino.

## A N N O T A T I O .

**M**Eminit Arnoldus lib. 2. Ligni vita, de Scriptor. Eccles. litera G. hoc lemmate. D. Gregorius Viterbiensis f. U. D. & Monachus Congregationis Casinensis, alias S. Julianæ de Padua, qui claruit anno Domini 1540. Scriptit tam pie, quam docte, super Evangelium Joannis: In principio erat verbum hominias, sive sermones tres, qui sic incipiunt. I. Dicibilis sermo de indicibili Verbo in verbis dicibilibus. II. In principio erat Verbum. III. Non licet filii veritatis. Sunt MSS. apud D. Constantinus Syracusanum Monachum Catharnensem. Ita Arnoldus.

## C A P U T . XI .

## D E B E N E D I C T O .

**B**enedictus Canophilus Sangrinus, Monachus in Casino factus est sub Ignatio Florentino, Abbe Casinensi, vir utriusque Juris doctissimus. Scriptit quamplurimos libros in Jure Canonico. Edidit quoque Repertorium quoddam in Jure Civili, & extractum de foro fori, & foro poli, qui quidem est impressus. Claruit temporibus Caroli V. & sepultus est in Casino.

## A N N O T A T I O .

**B**enedictus Canophilus de Castro Sangri fecit Compendium Juris Civilis, ac Canonicæ, & summam rerum. Scriptit etiam Re-

peti-

delicias Poëtarum collegit.

